



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Coloniensi Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

universitatem vestram monemus & exhortamur attentius & per apostolica scripta mandamus quatenus à festo resurrectionis dominicæ nunc primò venturo usque ad annum treugas ad invicem in eatis, medio tempore de concordia pettractantes, & si necesse fuerit, ad Romanam recurrentes Ecclesiam; quæ cum singulis vestrum in negotio singulari adesse desideret & prodesse, in hoc negotio, quod est vobis & ipsi commune, tantò libentius vobis communitè aderit, quantò in pace imperij tranquillitatem quoque suam efficacius procurabit. Datum Laterani.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 80.

Licet de fraternitate tua diversi nobis per litteras & nuntios diversa sæpe significaverint & adversa, quia tamen ex divinæ paginæ didicimus lectione quòd non omni spiritui est credendum, cum angelus Sathanæ se interdum in lucis angelum transfiguret, non potuimus, sicut non debuimus, quicquam de te suspicari sinistri, cum fidem & devotionem tuam, constantiam & fortitudinem in multis fuerimus jam experti. Nam quis crederet sanæ mentis quòd occasione contrahendæ affinitatis vel obligationis cuiuslibet eum desereres & abiceres quem creasti, & illi adhereres pariter & faveres qui in Coloniensis Ecclesiæ ac tuæ personæ contemptum, ad quam specialiter inter reliquos Principes electio Regis spectat, per intrusionem vitium nomen sibi regium usurpavit, & in majus tui honoris dispendium & personæ respectum, cum tu solummodo Reges in Imperatores electos coronare debeas ex antiqua Coloniensis Ecclesiæ dignitate, per Tarantasiensem Archiepiscopum imponi sibi fecit regium diadema? Quis etiam crederet, cum hæc nunc labores & expensas velis amittere quas pro defensione carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi & juris Coloniensis Ecclesiæ immo verius tui facti substi? Quis crederet ut cum apostolicæ sedis gratiam obtineas & favorem, & de Imperatore futuro & præsumere valeas & sperare, ipso turpiter derelicto, illi turpius immo etiam perniciosius adhereres cuius progenitores ferè semper Coloniensem fuerunt Ecclesiam persecuti, hæcque nostram indignationem incurreret, nec de alio, si in Imperatorem promoveretur, forsitan aliqua posses ratione sperare? Quis præsumeret ut cum pro tuenda Coloniensis Ecclesiæ dignitate ea feceris hæc nunc ad quæ nullus prædecessorum tuorum ausus fuerat aspirare, quòd nunc maculam in gloria tua poneret, & retro respiceret, & opus manuum tuarum velles tam leviter abolere? Quis præsumeret quòd contra devotionem & obedientiam apostolicæ sedis, Coloniensis Ecclesiæ dignitatem pariter & honorem, fidelitatem & juramenta quæ prædicto Regi sæpius præstitisti, tam leviter destiteres ab incepto, & contra factum proprium qualibet facilitate venires? Ad hoc quidem nec te inducere illud debet quòd à quibusdam maliloquis in dispendium tuæ famæ confingitur, videlicet quòd labores & expensas hujusmodi

Tom. I.

solus nequeas tolerare, cum pro tuenda Coloniensis Ecclesiæ dignitate non solum terrenam erogare substantiam, sed animam etiam ponere tenearis. Præterea cum Ecclesia Romana tuum in hac parte iudicium sit secuta, licet illud suum fecerit approbando, tibi est summo petere præcavendum ne si aliquid egeris per quod intelligat se delusam, illusionem hujusmodi non possit nec debeat æquanimiter sustinere. Nosse quoque te credimus sicut virum providum & discretum quòd frustra formaretur concordia inter hominem & serpentem, cum malè remuneret suos hospites serpens in gremio enutritus, nec sit facile nova in corde veteri meditari. Manet enim apud nobilem virum Philippum Ducem Sueviæ alta mente repositum qualiter quasi solus impedieris promotionem ipsius & ipsum coegeris thesaurorum suorum copias in vacuum exhaurire, ac sua ipsam hæc nunc intentione frustraveris. Vnde licet forsitan ex parte impedimenti materiam tolleret, quia tamen nec de ipsius pectore præcedentis repulsæ, quam valde injuriosam reputat, nec tantæ moræ memoriam aboleret, nec posses erogatam pecuniam restaurare, ipse sibi nec de damno nec de injuria crederet satisfactum, sed in te potius quicquid amodo ipsi sinistri contingeret vel contigit hæc nunc retorqueret; & quamvis vasa iracundiæ suæ in te forsitan effunderet non valeret, indignum tamen semper sui favoris gratia reputaret. Quia ergo plenè de prudentia tua & discretionem confidimus, & tam de constantia quam fidelitate speramus, nihil tale de te penitus suspicantes, fraternitatem tuam monemus & exhortamur attentius & per apostolica scripta sub obtentu gratiæ nostræ districte præcipiendo mandamus quatenus in tuæ mentis proposito perseverans, ad promotionem Regis ipsius potenter intendas, nec patiaris plantam quam tu ipse plantasti per humoris defectum arescere, quam vales, si velis, uberius irrigare. Novimus enim quòd tanta prudentiæ & potentia tuæ fraternitatis existit ut cum favore nostro, qui à multis sollicitudinibus expediti, expeditius & melius promotioni ejusdem Regis intendere jam valemus, quòd feliciter incepisti, si plenè velis, possis feliciter consummare. Sanè nosse te volumus quòd damnatæ memoriæ Marquardus, qui nos magis fraudibus quam viribus molestabat, Conradus Dux olim Spoleti, qui ut in locum ejus succederet in Siciliam accedebat, Otto de Barenste, qui sanctæ memoriæ Leodiensem Episcopum interfecit, & frater ipsius, dextera Domini faciente virtutem, miserabiliter expirarunt. Vnde cum in eorum decessu pars ipsorum sit penè penitus annullata, pro parte majori à sollicitudinibus regni Siciliae liberati, super negotio imperij plenius intendemus. Nam etiam carissimo in Christo filio nostro Frederico illustri Regi Siciliae foror carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Aragonum est de mandato nostro & assensu suorum familiarium desponsata; & nuntij sunt missi solemnes, qui non solum eam sed & matrem deducant, ut ipsa puerum nutriet & puellam. Ceterum tua fraternitas non ignorat quòd cum multi Archiepiscoporum & Episcoporum

Vide lib. 1.
epist. 88. &
gesta Ionoc.
111. cap. 9.

Vide infra epist.
111. & lib. 5.
epist. 50. &
lib. 11. epist.
4. 5.

ZZZZ ij

fidem non teneant, juramenta non servant, & despiciant Petri claves, nobis suggeritur à plebriſque ut propter hoc & alias multas necessitates Ecclesiæ generale Concilium convocemus; quod si duxerimus convocandum, te personaliter volumus interesse. Te igitur super hoc sicut venerabilem fratrem, & de quo plenè confidimus, consulentes, volumus & mandamus ut tam de his quàm de aliis quæ præmissis nobis quàm citius per fidelem nuntium & discretum non differas respondere. Datum Laterani.

LITTERÆ OTTONIS REGIS IN
Romanorum Imperatorem electi.

Epist. 81.

Venerabili in Christo Patri ac Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Otto Dei gratia & sua Romanorum Rex & semper Augustus debitam subjectionem & reverentiam cum filiali dilectione. Paternitati vestræ, Pater sancte, significamus quod Colonienſis Ecclesia Colonienſem Archiepiscopum ita nobis in fidelitate alligavit quod ipsum nunquam firmiter & stabiliorem habuimus quàm nunc habemus; quia si à compromissione facta resilire vellet, non posset. Sciatis præterea quod nos cum carissimo avunculo nostro Rege Angliæ sumus confederati, ita quod ipse contra omnes homines in rebus & in pecunia nobis subvenire tenetur unà cum regno suo, & nos ei, salvo honore & honestate Romanæ Ecclesiæ, cui nos & ipse nunquam deerimus. Tenetur enim avunculus noster cum Rege Franciæ facere pacem, sicut & nos de mandato vestro tenemur. Alioquin pacem & concordiam cum ipso non fecissemus, nisi vobis & Ecclesiæ Romanæ videremus expedire. Nihil etiam, teste Legato, fecimus in præjudicium Regis Franciæ. In spe sumus ejusdem magnæ nostræ promotionis; de qua cum certificati fuerimus, quam Deo volente breviter sciemus, vobis tamquam Patri ac Domino nostro significabimus; & vos cum tota curia per Dei gratiam gaudebitis. Sciatis insuper certissimè quod omnem promotionem nostram, post Deum, sanctitati vestræ recognoscimus, nuntios nostros, vos ad certificandum de statu nostro, vobis sæpius transmittimus; sed si ad vos veniant ignoramus. Nos enim super omnia prosperum statum vestrum audire desideramus. Ea quæ scripsistis pro nobis in Theutoniam supplicamus ut idem faciatis in Italia.

ILLVSTRI OTTONI REGI
in Romanorum Imperatorem electo.

Epist. 82.

Non oportet ut animi puritatem, quam in promotionis tuæ negotio gessimus, litteris exprimamus, cum jam intentionem nostram opera manifestent, nec super his egemus testibus peregrinis quæ tua serenitas recognoscit. Novit enim celsitudo regalis quod post eum à quo est omnis potestas, cum sit Rex Regum & Dominus dominantium, per nos vicarios ejus indignos tuæ promotionis initium felicem hætenus est sortita progressum, licet principium debile processus difficilis sit secutus. Vnde regia serenitas non miretur si nondum juxta votum nostrum & suum cœptum est negotium consummatum, quia nihil repente fit summum, ipsumque negotium tam magnum existit quod in secularibus non est majus, & si ad hujus promotionis primitias & medijs temporis obstacula respectus debitus habeatur, non sit modicum reputandum quod in tantum est per Dei gratiam prosperatum. Nos autem de tua prosperitate gaudemus, & successus tuos propios reputamus; utpote qui plantæ nostræ oblivisci non possumus, sed quam plantavimus & rigavimus, lætamur ab eo sine quo neque qui

plantat neque qui rigat est aliquid plenius augmentari. Gaudemus etiam quod memor propriæ sponſionis, in forma pacis quam cum carissimo in Christo filio nostro * Philippo illustri Rege Francorum pacem, sicut & tu, ipse facere teneretur. Monemus igitur serenitatem tuam & exhortamur in Domino quatenus de tua promotione sollicitus, quæ ad eam spectare cognoveris studeas efficaciter procurare. Specialiter autem tibi caveas ab insidiis malignorum, ne in personam tuam aliquid valeant machinari. Nos enim, quantum nobis permittit Dominus, ultra fortè quàm credas super promotionis tuæ negotio vigilamus, sperantes quod illud dante Domino desideratum celeriter consequetur effectum. De nobis autem nosse te volumus quod valemus per Dei gratiam & vigemus, & universa nobis, quantum tamen humana conditio patitur, pro voto succedunt. Datum Laterani Idibus Januarij.

Perfidiam Archiepiscopi Trevirensis vos non credimus ignorare; qui licet præter communis obedientiæ vinculum & juramentum fidelitatis quo Ecclesiæ Romanæ tenetur, nobis promiserit firmiter & juramento firmavit quod super facto imperij beneplacitum nostrum sine conditione qualibet sequeretur, quasi tamen hæc omnia parvipendens, non solum super hoc nostris hætenus noluit obedire mandatis, sed pro viribus resistit & resistit ne nostrum beneplacitum impleatur, latam etiam in se excommunicationis sententiam parvipendens; nec credit suæ præsumptioni sufficere quod inobedienciæ reus, transgressor fidei, & juramenti proprij violator effectus, contra id quod nobis firmiter repromisit, litteris suis patentibus super hoc apud nos in testimonium derelictis, venire præsumit, sed vos etiam, sicut accepimus, in testimonium invocat falsitatis, asserens quod personam carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi exceperit cum juravit. Nos igitur ejus contumaciam attendentes, excommunicationis in ipsum sententiam duximus proferendam; sed ipse adhuc in sua contumacia perseverans, eam contemnere non veretur. Nolentes igitur temeritatem hujusmodi relinquere incorreptam, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus excommunicatum eum singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campaniæ, & candelis accensis, publicè nuntiatis & per vestras faciatis dioceses sub solemnitate simili nuntiarj; ex parte nostra denuntiantes eidem quod nisi post denuntiationem nostram infra sex menses ad mandatum nostrum redierit humiliter & devotè, ac sicut juramento tenetur, super facto imperij nostræ satisfecerit voluntati, ex tunc convocato vicinorum Episcoporum Concilio de consilio fratrum nostrorum depositionis in eum sententiam proferemus. Datum Laterani v. r. Kal. Martij, pontificatus nostri anno sexto.

Epist. 83.
Vide supra
epist. 78.

